Nos reliqui profeſſores & ſenatores hujus inclytæ Academiæ & funus horâ prima pomeridiana (volente Deo) prosequi, & postea ſacram concionem funebrem in templo Petri audire constituimus: ad illas ipſas exequias invitantes, omnes jurisdictioni Academiæ ſubjectos, quibus et chara est recordatio nostri pro-Rectoris & quibus & voluntas & opportunitas à deo dabitur ad illud funus accedendi. Perſcriptum

28 Novembr: 1596

Epistola

282) Johanni Weidero Ecclesiastæ

S. Georgium Weiderum, nepotem tuum, vir Reverende, etsi prævidebamus parum esse ob infirmitatem ad peregrinandum idoneum, noluimus tamen ſolicitantem toties ad vos non dimittere, medico præſertim ex aëris mutatione aliquid levaminis ſperante, ne deſiderium vestri à nobis illi negatum morbo forte quid adderet, quod permiſsum de eodem non parum diminuere poſse putabatur. Quod verò in via exemtus ex vita est, antequam conſpectum vestrum exoptatum conſequeretur, id quidem nobis ut præter opinionem, ita non ſine dolore accidit, quod diſcipulo pio juxta, more gero et docto orbata eſset ſchola nostra, præſertim fors inter peregrinos. Sed memores humanæ conditionis, et morbi, quem Medicus ex tabe et hydrope mixtum indicabat, certe talem, qui vix diu in vivo corpore ſubſistere poſset, cumprimis vero in Dei Opt: Max: omnia optime dirigentis voluntate acquieſcentes, communem dolorem merito levamus. Nosquidem hic non in nullo verſamur periculo, ex lue ſerpente potius quam graſsante non in nostro ſolum oppido, ſed in toto pene Rheni tractu. Schola prope diſsipata est: et de collegio nostro transferendo cogitabatur, et ſi per Dei gratiam fruamur loco et aëre commodo

separati ab hominum turba. Tuus filius magnum mihi nu-
per bis terrorem incussit, correptus nescio quo malo, quod
provide tamen et bene Dei gratia aversum a nobis est.
Ea caussa ut et nostri minus metuerent, et ipse sibi, cupientem
ad vos excurrere, ut aërem mutaret, de consilio Medici et
judicio Senatus dimisi, una cum Seuatorio, quem itineris socium
haberet: ea conditione ut ad mensem unum circiter ibi
moratus, postea ad sua studia alacrior iterque redeat.
Interim speramus et hic meliorem auram. Nosit vero,
ut metuam, vel accidat ei quod patrueli accidit. Salvus
vos salvos salutabit spero. Injunximus tamen ut se domi apud
suos contineat, nec latius evagetur, praesertim in Amber-
gam, ne quia rumor de grassante contagio hic Heidelb. quod
tamen Dei benignitate leniter est serpens, vix enim in ter-
tium jam mensem 200 homines populosissimo hoc oppido
absumsit, longe lateque vagatur, aliquos forte vel conterreat
praesentia sua vel offendat. Quae tibi Vir Reverende fami-
liariter significanda duxi. Tu Deum pro nobis ora:
et in Domino cum tuis vale Heidelbergae 5 octobr. Ao 1596.

Samueli Hubero Turbatori S.

Spiram 283)

Mirantur non pauci, mi Hubere, qui ad me scribunt,
te offas causidicorum in vicinia nostra tamdiu sectari.
Ego nec miror, nec invideo. Potius te miseror homi-
nem ἀνέστιον καὶ ἀφρήτορα tamdiu maria et aridam per-
errare, licet tua culpa, et quod magis dolendum est, in pesti-
lentissimis erroribus tuendis et ornandis tamdiu perseverare
re αὐτοῦ τῷ κυρίῳ. Etsi ego te aliorum servum judicare
nolo. judicabit te Dominus, cui omnes stamus et cadimus.
Intellexi ex filio meo, qui te, cum nuper in itinere Neu-
stadiano isthic apud D. Quirinum diverterem, me inscio
compellarat; etiamnum te aegre ferre, Pelagianismum